

cognosci valeat, ac sine occisione a furto impediri, resque conservari, aut recuperari valeant, interficiens illum non præsumitur, sed probari debet, se aliter furum impedire non potuisse; quod sufficienter præstatur, si probatur, aut alias constat, furem telo, id est, quocunque armorum genere, vel defensionis instrumento (nam ut bene advertit Glossa in cit. 6. *Perfodiens* h. t. §. *Telo*. Telorum nomine etiam lapides et fustes intelligi, l. *Si pignores*, §. *Furem*, ff. *de Fur. ferrum*; item et omnes quod arcu, vel manu mittitur, §. *Item. Lex Cornelia*. Instit. *de Public. Judic.*) se, ne a furto impediatur defendat: Quamvis in foro interno securus sit, si vere absque occisione res suas magni momenti conservare non potuit, etsi pro foro externo id probare non valeat.

168. Ad quartum respondetur, clericum illum in c. *Suscepimus*, h. t. irregularem fuisse declaratum, ob non servatum moderamen inculpatæ tutelæ, uti colligitur ex §. *Exardescere*, et reliquo textu, quo constat, quod monachus ille occiderit latrones in custodia detentos, postquam res furtivæ jam fuere recuperatæ, et sine ullo periculo alio transferri, et conservari potuissent, antequam latrones solverentur, uti cum aliis bene advertit Covarruvias, loc. cit.

169. Ad quintum respondetur, etiam illum clericum in cit. c. *Significasti*, expresse excessisse moderamen inculpatæ tutelæ, uti patet tum ex fine hujus c., tum ex eo, quod clamando, et implorando aliorum auxilium furtum impedire, et res Ecclesiæ servare potuisset, cum parochiani statim adfuerint, et succurrerint.

170. Ad argumentum ex ratione desumptum respondetur, ex lege et ordine charitatis tunc solummodo nos teneri præferre vitam proximi bonis nostris temporalibus, quando proximus versatur in extrema, et quasi extrema necessitate; minime vero quando proximus absque tali necessitate res nostras libere et malitiose auferre attentat. Nam si in tali casu vim vi repellere, et ubi opus est, pro conservandis rebus nostris, servato moderamine inculpatæ tutelæ, injustum aggressorem occidere non liceret, turibus et latronibus ampla præberetur ansa et occasio, quemlibet invadendi et rebus suis spoliandi, prout supra jam dictum est.

171. *Defectus lenitatis ex homicidio, quod publica, non item quod privata auctoritate fit, committitur.* — Ex quibus omnibus patet,

nec canones, nec rationem adversari conclusioni nostræ, num. 158, positæ. Quæ etiam confirmatur ex doctrina adversariorum fautorum, eum, qui servato moderamine inculpatæ tutelæ pro defensione honorum temporalium occidit iniquum aggressorem; nullum quidem peccatum, tamen defectum lenitatis committere, indeque irregularitatem incurrere. Nam contra est, quod secundum graves doctores homicidia privata non nisi ex delicto irregularitatem inducant, cum lenitatis defectus solis illis, qui auctoritate publica, iudices nempe, et ministri justitiæ, ac milites occidunt, imputetur; consequenter, si occidens iniquum aggressorem rerum nec peccat, et ex delicto irregularis non sit, multo minus ex defectu lenitatis talis evadet; prout post Covarruviam, in cit. Clem., *un. h. t.*, p. 3, §. un., n. 5, et communem aliorum bene advertit Castro Palao, *de Censur.*, disp. 6, pun. 15, n. 9, tradens universalem. Quicumque privata auctoritate licite occidit, irregularis non est.

172. *Sicut pro necessaria propriarum, sic etiam pro defensione alienarum rerum, absque culpa, et irregularitatis nota licet occidere injustum invasorem.* — Resp. III. Sicut juxta dicta supra servato moderamine inculpatæ tutelæ licitum est non tantum pro defendendis propriis, sed etiam alienis rebus occidere iniquum aggressorem; sic etiam ab irregularitate immunis est, tam qui proximi, quam si suas res defendit, ut bene docent doctores citati, ob rationes ibidem allegatas. Quibus accedit regula universalis n. præced. posita.

173. *Non tantum laici, sed etiam clerici a culpa et pœna irregularitatis immunes sunt, si servato moderamine inculpatæ tutelæ pro defensione vitæ, membrorum, rerum propriarum, vel alienarum occidunt injustum invasorem.* — Et procedunt hactenus dicta non tantum de laicis, sed etiam clericis iniquum aggressorem vitæ, vel membrorum, vel rerum sive suarum, sive proximi servato moderamine inculpatæ tutelæ occidentibus, ita ut ab irregularitate et omni alia pœna immunes sint, ut cum aliis bene advertit Pirhing h. t. num. 91, patet ex c. *Olim*, 12, *de Restit. spoliat.*, et ex c. *Dilecto*, 5. *Sentent. Excomm.* in 6, necnon ex responsione ad canones a num. 159, allegatos, ex quibus quidam doctores contrarium probare conantur. Accedit, quod vim vi repellere jus naturæ concedat, consequenter etiam clericis competat.

174. *Homicidium non necessaria defensione famæ et honoris commissum an inducat irregularitatem?* — Resp. IV. Quicumque in casu aliquo pro necessaria defensione famæ et honoris licite occidit invasorem, in eodem immunis erit ab irregularitate. Patet conclusio a pari, vel a majori ad minus, ex dictis a num. 158 et seqq. An autem, et quando liceat pro defensione famæ et honoris occidere, vide dicta n. 143 et 144, ubi colliges, quod, sicut ordinarie loquendo illicitum, ita etiam ordinarie loquendo irregularitati subjectum sit homicidium pro prætextata defensione famæ et honoris commissum, si excipias casum, de quo supra n. 150.

§ V.

DE HOMICIDIO CASUALI; ET IRREGULARITATE INDE PROVENIENTE: ALIISQUE PŒNIS ILLIUS.

175. *Homicidium casuale, quid et quotuplex?* — Quid et quotuplex sit homicidium casuale; patet ex dictis supra num. 4 et 15. Hic solum prænotandum, homicidium casuale contingere, indeque irregularitatem consurgere posse tam ex opere licito, quam illicito. Hinc pro majori claritate distinctas instituemus de his quæstiones.

176. *Ex homicidio mere casuali, ex opere licito secuto, nulla incurritur irregularitas, nec alia juris pœna.* — Quæritur I. An et quando homicidium casuale ex opere, vel actione licita secutum inducat irregularitatem, vel alias juris pœnas? Resp. I. Ex homicidio mere casuali, quod ex opere licito absque ulla culpa, et dolo committitur, et ad quod evitandum debita diligentia fuit adhibita, ita ut mere casualiter, et fortuito contingat, nulla inducitur irregularitas, nullaque alia contrahitur pœna sive canonica, sive civilis. Communis et certa, arg. l. *item Mela*, 9, §. 4, l. *Si putator*, in fine, ff. *ad Leg. Aquil.*, l. I et l. *Eum qui*, 5. C. *ad Leg. Cornel. de Sicar.* Quibus consonat Constit. Carolin., art. 146. Et extant pro hac conclusione varii expressi canones, uti c. *Lator*, 9, c. *Dilectus*, 13, c. *Ex litteris*, 14, c. *Ex litteris*, 15, c. *Significasti*, 16, c. *Exhibita*, 22, c. *Joannes*, 23, c. *Quiam*. h. t. 24. Ubi ad varios hujusmodi casus, in quibus ex opere licito absque omni culpa homicidium casuale contigisse, et exinde nullam irregularitatem contractam esse narratur.

177. *Adducuntur pro praxi varii casus.* —

Uti si v. g. quis debita cautela adhibita ex charitate, aut officio levet ægrotum, et is per hoc extinguitur vel si quis ex præscripto medici præbeat pharmacum, quod ei mortem affert: vel etiam si quis non clericus (aliud est de clerico juxta dicenda infra num. 200) alicui præbet medicinam aliis satis salubrem, et experientia comprobata, quæ sumentem necat: vel si duo, aut plures, loco et tempore debito, pila, conis, jaculatione, aut alio honesto lusu se distrahunt, et unus eorum fortuito percussus, aut trajectus: vel si, dum quis campanam pulsat, pistillum decidens prætereuntem interficit: vel si quis equitat, et equum forsitan terrefactum, indeque ferocem effectum cohibere non valens, prætereuntem equo conculcat, et occidit: vel si quis ab alto trabem, vel lapidem projiciens prætereuntem enecat, postquam prius prospexit, et neminem vidit, aut prius satis clamavit, ut inferius existentes sibi caverent, etc. Per jura allegata.

178. *Assignatur ratio.* — Ratio est, tum quia tale mere casuale homicidium nec directe, nec indirecte est voluntarium, consequenter penitus non imputandum; unde bene dicit Papa c. *Dilectus* 13, h. t. in fine: Cum Capellanus (qui equum cohibere non valens, occidit mulierem) nec voluntate, nec actu homicidium perpetravit, nec dedit operam illicitæ rei, non impediatur, quominus divina possit officia celebrare.

179. *Furiosus quoque amens, et infans occidens aliquem ab irregularitate immunis est.* — Pariter si furiosus, aut infans, seu dormiens hominem mutilet, vel occidat, nullam ex his irregularitatem incurret; Clem. *un. h. t.* Ratio est, quia hi omnes ratione, ac propterea etiam culpa carent in suis actionibus; consequenter ab omni irregularitate immunes sunt.

180. *Quid de ebrio sentiendum. Remissive.* — Num autem ebrius quoque utpote usu rationis pariter carens ab irregularitate liber sit, si tempore ebriatis aliquem occidat, dicitur infra n. 205.

181. *Homicidium casuale ex opere licito qui committit, irregularis est, si ex culpa gravi omittit debitam diligentiam cavendi mortem, aut mutilationem.* — Resp. II. Homicidium casuale ex opere licito secutum irregularitatem, et alias saltem extraordinarias juris pœnas inducit, si tale opus exercens negligentiam, et culpam latam theologicam com-

misit in vitando mortis seu homicidii periculo. Rursus communis et certa, arg. c. *Presbyterum*. 7, h. t. Ubi presbyter ex eo, quod puerum intuitu disciplinæ in capite percusserit, et is inde interierit, pro excommunicato habetur; Ratio est, quia licet intentio corrigendi, et ipsa correctio sit opus licitum, quia tamen presbyter modum excessit, et percutiendo periculosam partem corporis, caput videlicet, debitam diligentiam cavendi mortem non adhibuit, merito irregularis censetur. Concordat c. *fin.* h. t. in 6.

182. *Magistri in corrigendis discipulis sunt irregulares, si ex gravi eorum excessu mors et mutilatio sequitur. Castigatio levis duntaxat, non excessive gravis permissa est magistris.* — Hinc universaliter inferunt doctores, quod magistri in castigandis discipulis nimium excedentes semper reputandi sint pro irregularibus, si mors, aut mutilatio inde sequatur; præsertim cum levis duntaxat castigatio sit permissa magistris, l. *sed etsi*. 5. § *ult.* ff. *ad Leg. Aquil.* ibi: Quia levis duntaxat castigatio concessa est docenti: sed Lege Aquilia posse agi, non dubito. et l. *sequenti*, ff. *eod.* ibi: Præceptoris enim nimia sævitia culpæ adsignatur.

183. *Homicidium casuale præfato modo commissum, quod inducat irregularitatem, probatur ulterius ex jure.* — Confirmatur conclusio ex c. *Continebatur* 3, h. t. ubi clericus pronuntiatur irregularis ex eo, quod facem non removerit a tergo, in quod alter more patriæ insiliens lethaliter fuit vulneratus. Ratio est, quia dum clericus ille sciret, victores in lusu, more regionis insilire in dorsum victi, utique culpabiliter egit, et debitam diligentiam cavendi mortis periculum non adhibuit, dum facem a tergo suo non amovit, licet alias licitum sit a tergo suo habere. Hinc c. *Presbyterum*. 7, h. t. Summarium universaliter habet: Homicidium casuale imputatur ei, qui dabat operam rei licitæ, si non adhibuit diligentiam, quam debuit: quod idem repetitur in *summario c. Continebatur*. 8 eod.

184. *Et ratione.* — Ratio autem conclusionis est, quia si quis in suis etiam licitis actionibus, ex quibus sequi potest proximi mors, pro ea præcavenda, et vitanda, debitam ex gravi culpa omittit diligentiam et cautelam, censetur mortem illius saltem indirecte velle, consequenter homicidii, et poenarum illius reus esse.

185. *Inaudit etiam de jure civili poenam, non quidem ordinariam, sed extraordinariam.* — Hinc licet homicidium casuale etiam culpa lata ut supra commissum, non inducat poenam ordinariam ultimi supplicii, l. *qua actione*, 7, *ad Leg. Aquil. de Sicar.*, tamen poena extraordinaria juxta facti et personarum qualitatem propterea infligitur, arg. l. 4, § 1, ff. *ad Leg. Cornel. de Sicar.* et l. *Eum qui* 5. C. eod. juncta constitutione Caroli V, art. 146, et datur iis, quorum interest, hominem occisum esse, veluti conjugi, liberis, sociis, etc. *Actio ex lege Aquilia* prout amplius in Tit. de injur. et damno dato.

186. *Secundum aliquos etiam levis culpa in vitanda morte alterius casuali sufficit ad irregularitatem.* — Cæterum notanter dicitur in conclusione n. 181, posita, saltem si commisit culpam theologiam, omittendo debitam diligentiam in vitanda proxima morte; et periculo illius. Quia num etiam irregularitatem, et alias juris poenas inducat homicidium casuale ob culpam levem in illo vitando, ex opere alias licito secutum, controversia satis magna est inter doctores, quorum aliqui, ut Navarrus in *Clem. un. h. t.* p. 2, § 4, n. 9. Cajetanus *Irregularitas*, et alii cum Glossa in c. *Significasti* 6, h. t. *Sci visset*, volunt sufficere etiam levem culpam, arg. c. *Presbyterum*. 7, et c. *Continebatur*. 8, h. t. Ubi non nisi levis culpa intervenisse videtur, et tamen eam committentes declarantur irregulares.

187. *Sed probabilius requiritur culpa gravis.* — E contra Castro *Palao de Censuris*. Disp. 6, pun. 13, § 4, n. 1. Navarrus cap. xxvii, n. 251. Gonzalez in c. *de Cætero*, 11, h. t. a n. 1. Suarez *de Censuris*. Disp. 47, sect. 5, n. 8. Pirhing h. t. n. 63, cum communiori et probabiliori aliorum, quam et nos amplectimur, dicunt, requiri latam et gravem culpam saltem ad incurrendam irregularitatem, arg. c. *quæsitum. de Penitent.*, *Remiss.* ubi pater suffocans filium secum in eodem lecto dormientem irregularis declaratur, si ipso voluntarie procurante, vel studiose negligente suffocatio contingit, quod utique gravem culpam denotat: Et ex c. *Exhibita*. 22, n. t. ubi ab irregularitate Papa excusat clericum ex eo, quod læsam non habuerit conscientiam, utique graviter; quia leviter ibidem deliquisse clericum, in cavenda morte alterius, satis ex facto ibidem relato patet.

188. *Ratio hujus assignatur.* — Ratio autem hujus doctrinæ est; quia cum jura circa qualitatem culpæ expresse nil statuerint, merito benignior sententia est amplectenda, arg. c. *in pœnis. de Reg. Jur.* in 6, et l. *semper. ff. eod.* præsertim quia irregularitas ex homicidio casuali culpabili imponitur ob culpam, quæ debet esse proportionata poenæ, quæ utique est gravissima. Quare in foro conscientie securissima est sententia, ita, ut qui in vitando aut præcavendo homicidio casuali moraliter se reum non esse agnoscit, pro irregulari se habere non teneatur.

189. *Et solvitur objectio.* — Nec contrarium evincitur ex cit. c. 7 et 8, h. t. quia ibidem graviter deliquisse ex facto, et textu bene deducunt doctores n. 187, citati.

190. *In actionibus licitis, prorsus nullum mortis periculum annexum habentibus, nulla est obligatio adhibendi specialem diligentiam de cavenda morte alterius.* — Cæterum dicta circa obligationem etiam in licitis actionibus adhibendi debitam diligentiam vitandi mortem alterius, intellige de illis actionibus, quæ annexum habent aliquod mortis periculum; Qui in actionibus, quæ prorsus nullum secum habent mortis periculum, nulla specialis diligentia, vel cautela requiritur, hoc ipso, quod in tali actione nemo de periculo cogitet, consequenter homicidium, si quod exinde contingit, mere casualiter et fortuito contigisse, merito semper præsumatur.

191. *Homicidium casuale ex opere illicito secutum semper inducere irregularitatem volunt plures.* — Quæritur II. An, et quando homicidium casuale ex opere illicito secutum inducat irregularitatem, et alias juris poenas? Ante responsionem notandum, rursus magnam esse controversiam inter doctores. Aliqui enim, inter quos est D. Thomas 2, 2, q. 64. art. 8. Innocentius in c. *Tua nos*. 19, h. t. Navarrus *Manu. cap. xxvii*, n. 220, et seqq. Layman lib. III, tr. 3, p. 3, n. 7. Fagnanus in c. *ad audientiam*. 12, h. t. n. 9, et alii, præsertim antiquiores Canonistæ absolute et universaliter volunt, omnem illum, ex cujus opere illicito sequitur homicidium casuale esse irregularem, etiamsi de illo vitando omnem adhibuerit diligentiam et cautelam. Idque probant ex c. *Dilectus*. 13 c. *Joannes*. 23, h. t. ubi ab irregularitate excusatur clericus, quod operam dederit rei licitæ, et debitam adhibue-

rit diligentiam de homicidio casuali vitando: quod idem habetur in pluribus hujus tituli capitibus: ergo a sensu contrario irregularitatem contrahit, qui rei illicitæ, ex qua homicidium casuale sequitur, operam dat, etiamsi omnem diligentiam de illo vitando adhibeat.

192. *Idque probatur ratione.* — Rationem dant, videlicet, quia citius contrahitur irregularitas per homicidium casuale ex illicito, quam licito opere secutum, arg. cit. c. *Dilectus*. 13, et c. *Joannes*. 23, h. t. cum Concordantiis; quod verum non esset, si ex opere illicito secutum irregularitatem non induceret casu, quo illicite operans debitam diligentiam in eo cavendo adhiberet.

193. *Probatur jure.* — Confirmant suam doctrinam ex c. *Tua nos*. 19, h. t. et c. *Sententiam*. 9. *Ne clerici, vel monachi*, ubi clerici in sacris constituti, et monachi irregulares declarantur, si medicinam, vel chirurgiam exercent, ex qua præter omnem opinionem mors sequatur, etiamsi sint in arte periti, et omnem diligentiam de morte, et periculo illius vitando, idque nulla alia ex causa, quam quod dictis clericis et monachis sit illicitum extra casum necessitatis medicinam, aut chirurgiam exercere. Glossa in cit. c. *Tua nos*. h. t. *¶ Congruet*.

194. *Alii vero volunt, ex illo nunquam oriri irregularitatem, si debita diligentia cavendi mortem adhibetur.* — Alii e contra, pauci tamen, apud Suarez *de Censuris*. disp. 45, sect. 6, n. 4, absolute contrarium volunt dicentes, eum, qui dat operam rei illicitæ, ex qua homicidium casuale sequitur, non fieri irregularem, si ad illud vitandum debitam adhibuit diligentiam. Rationem dant; quia tale homicidium non est voluntarium, consequenter eidem non imputandum. Tertiam sententiam, quam nos sequimur, dat conclusio sequens, qua:

195. *Probabilius cum distinctione docetur, videlicet tale homicidium inducere irregularitatem, si actio illicita sit ex se et natura sua inducens, et annexum habens mortis, aut mutilationis periculum.* — Resp. I. Ad quæstionem nu. 191, positam, qui dat operam tali rei illicitæ, quæ ex se, aut natura sua inducit periculum mortis, vel mutilationis, mortisque facile inductiva est, et præsertim, si propterea etiam prohibita existit, irregularis efficitur, si ex ea homicidium sequatur, etiamsi ad illud vitandum, omnem diligentiam, et cautelam adhibuerit. E contra vero